



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. I. Quid intersit inter Consilium, & Consensum Capituli?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

## TITULUS X.

### *De his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.*

**C**irca jura Prælati multa Capitulo Sede vacante licere; multa itidem eidem esse vetita, præcedente Titulo expositum fuit. Multa non minus sunt negotia, ad quæ valide expedienda Prælati Capitulo sui vel *Consilium*, vel *Consensum* adhibere debet. Utérque Canon multa æquitate nititur. Veluti enim Ecclesiæ viduatæ interest, habere defensorem, qui ejus jura tueatur, & ideò Capitulo vices Prælati Sede vacante demandantur; ita non minus è re Ecclesiæ fore creditum fuit, in Prælati plenitudinem potestatis, ne in tyrannidem, & desposin degeneret, certis quibusdam retinaculis constringere. Quapropter in politia sacra (sunt verba Zypæi in *Analyfi princ. h. t.*) ne, qui præsumt, quod lubet, licere putent, & in Clero dominantur contra præceptum Apostoli. *1. Petri 5. v. 3.* Capituli sui in quibusdam negotiis jam *Consilium*, jam etiam *Consensum* adhibere à jure jubentur. Quæ vetò sint illa negotia, ocyus exponetur.

### §. I.

#### *Quid intersit inter Consilium, & Consensum Capituli?*

#### SUMMARI A.

1. *Notabilis differentia inter Consilium, & Consensum assignatur.* 2. *Cur Prælati Consilium requirere teneatur, ad quod tamen amplectendum non adstringitur.*

1. **I**nter *Consilium*, & *Consensum* Capituli ea notabilis est differentia, quod ubi de jure ad actum aliquem expediendum Prælati *Consilium* requirere jubetur, ut in *cap. 4. §. 5. h. t.* illud citra actus nullitatem omittere non possit, *d. cap. 4. in fin. Barbof. ibid.* (nisi aliter habeat consuetudo. *cap. 6. h. t. cap. 3. de consuet. in 6.*) sequi tamen simpliciter non teneatur, sed contra omnium Capitularium sententiam liberè, quod videbitur, disponere possit, quia adhuc

ve-

verum manet, actum expeditum eſſe cum Conſilio, quod monet ſapiens *Ecclēſ. 32.* quamvis non ſecundum Conſilium, quod jura non requirunt. *cap. 7. de Arbitr. cap. 1. de Capell. Monach. cap. ult. de Regul. l. 5. §. Papinianus ff. de adminiſtr. Tut.* Econtrâ, ubi requiritur ad aliquem actum expediendum *Conſenſus* Capituli, non ſufficit, quod Prælatuſ Sententiaſ Capitularium rogataſ auſcultet, ſed quod major pars concluſerit, id omninò ſequi tenetur, ſecùſ actùſ à ſolo Prælato geſtuſ invaliduſ eſt. *cap. 1. h. t. & ratio hæc eſſe poteſt, quòd, ſi actùſ ſine Conſilio expedituſ, ubi id requirendum eſt, omni robore firmitatiſ caret. cap. 4. h. t. quantò magiſ actùſ ſine conſenſu expedituſ omni robore deſtituetur.*

2 Scicitariſ, ad quid conſilium Capituli, ſi illud Prælatuſ ſequi non tenetur? Reſpondeo, id fruſtrâ haud quaquam fieri, ſed utile omnino eſſe ex eo, quod, audituſ Capitularium ſen-

tentiſ, præcipitantiæ occurratur, ſi nimirum Prælatuſ ſecum exploret, an expediat ſibi conſilium juxta *l. 2. §. ult. ff. Mandati.* & ita, licet non cogi, ſaltem prudenti Capitularium deliberatione moveri poſſit ad amplectendum, quod fortè ſoluſ minus conſultò feciſſet. *Faciliuſ enim invenitur, quod à pluribuſ queritur, ait Innocent. I. in cap. 3. diſt. 20. & integrum eſt judicium quod plurimorum Sententiſ confirmatur. c. 5. diſt. 64.* aded, ut Juſtiniano teſte in *l. fin. C. de fideicommiſſ. per ampliores homineſ perfectiſſima veritaſ reveletur, & ideo uniuſ etiam conſilium reſpuendum non ſit arg. cap. 12. diſt. 31.* ubi ſoluſ Paphnutiuſ in Nicæna Synodo conſilio ſuo, & rationibuſ à ſe propoſitiſ reliquoſ PP. omneſ à concepta ſententia dimovit, & in ſuaſ parteſ traxit, ne ſcilicet Preſbyteriſ uſuſ uxorum, quaſ ante Ordinationem duxerant, prohiberetur, ad evitaſ ſcandala, & fornicationiſ pericula.

## §. II.

*In quibuſ actibuſ Prælatuſ conſenſum Capituli requirere, & ſequi teneatur?*

### S U M M A R I A.

3. *Pro Regula traditur, quod conſenſum tantum in caſibuſ à jure expreſſiſ adhibere teneatur Prælatuſ. 4. Inter caſuſ expreſſoſ eſt alienatio. 5. Quod quadruplicem patitur limitationem. 6. Item requirere tenetur conſenſum Capituli in præſentatione, & collatione beneficii. 7. In unione Eccleſiarum. 8. In Contractu Mutui, aut alia conventionem oneroſa. 9. Et in omnibuſ aliis negotiis, in quibuſ utriuſque Prælati, & Capituli intereſſe vertitur. 10. Ipſum conſenſum debet præcedere tractatuſ, conſenſuſ debet à collegialiter congregatiſ requiri, & ſufficit, ſi pars major conſentiat.*

3 Canoniſtæ comūniter hanc ſtatuunt Regulam, quòd Prælatuſ conſenſum ſui Capituli expetere, & ſequi non teneatur, niſi in caſibuſ à jure expreſſiſ.